



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. De oppositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

aut armatur, intercedit aliquid positium distinctum tam à re armata aut vestita, quam ab armis & vestibus, quod pertinet ad hoc prædicamentum, ut expresse asserit *Philosophus 5. Met. c. 10.* sed illud positium medium non est modus absolutus, neque respectus intrinsecus adueniens, ut patet ex dictis in hac disputatione: ergo est respectus extrinsecus adueniens.

79. *Obiicitur* per hoc solum, quod habeat vestis præsentiam localem ad rem vestitam, intelligitur vestire istam rem, & res intelligitur vestita: ergo non datur aliquis alius respectus inter rem vestitam & vestem, & consequenter Habitus non erit prædicamentum distinctum ab Vbi.

Respondeo negando antecedens quia quamvis vestis habeat talem præsentiam localem ad rem vestitam, qualem habet quando res vestitur ipsa, tamen adhuc non intelligeretur res vestita, neque à parte rei per hoc formaliter aut realiter vestiretur, quia ut vestiatur debet habere talem respectum ad vestes, quo mediante posset ire de loco in locum cum vestibus: sed ex eo præcise quo haberet ipsam præsentiam localem etiam talem, non esset necesse ut posset circumferre secum vestem; ergo respectus præsentiae localis vestis ad rem vestitam non est respectus quo formaliter dicitur res vestiri per vestem.

Respondeo secundo, negando consequentiam, quia licet non possit intelligi ista præsentia localis vestis ad rem vestitam, quin intelligatur res vestita, tamen potest res vestita intelligi, & esse vestita hac ipsa veste per eundem numero habitum sine eadem numero præsentia locali, nam præsentia localis rei ad locum secundum communem sententiam etiam aduersariorum, est inuariabilis & immobilis. Et propterea duæ res simul motæ nõ possunt habere eandem numero præsentiam localem, quam habuerunt ante motum: res autem potest habere eundem numero habitum, seu ordinem ad habitum, etiam si simul cum habitu moueatur.

80. *Obiicitur secundo ex Auerſa*: eo ipso, quo circumponeretur vestis absque modo, aliquis esset vestitus: ergo non debet dici, quod habitus consistat in alio, quam in denominatione extrinseca. *Confirmatur*, quia alias quando lapides aut statuae vestirentur, poneretur talis respectus in illis.

Respondetur negando suppositum antecedentis; neque enim potest circumponi vestis absque modo distincto, sicut nec potest corpus circumscribi à loco absque modo distincto secundum *Auerſam* ipsum. *Ad confirmationem* concedo sequelam, nec id est vilo modo inconueniens.

DISPUTATIO XVIII.

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

1. *Capite decimo sui libri de Prædicamentis* vsque ad finem agit *Philosophus* de quibusdam rerum affectionibus, comparatque res illas, quas in Prædicamentis collocavit, ad se inuicem secundum oppositionem, prioritatem, simultatem, ostendendo quænam posteriora, quænam simul; deinde addit aliqua de motu; & denique ostendit quor modis aliquid dicitur habere aliud, de quibus breuiter pauca subiungam.

QUESTIO I.

De Oppositis.

2. *Opposito*, de qua hic *Philosophus* agit, est repugnantia aut impossibilitas duarum rerum sese mutuo ab eodem subiecto excludentium, ut colligitur ex *Philosopho 5. Met.* dicente: *Quæcumque susceptio amborum non contingit simul adesse, hæc opponi dicuntur.* Non debet autem intelligi per subiectum, subiectum inhæsionis, quia alias forma, & negatio, aut priuatio non opponerentur, quia negatio & priuatio non habent subiectum inhæsionis: debet ergo intelligi quodcumque recipit aliud eo modo, quo aliud tantum est recipi siue per

inhæsionem, siue non. *Oppositionem* autem ut sic diuise *Philosophus* in quatuor membra, nimirum in *Contrariam*, *Relatiuam*, *Priuatiuam*, & *Contradictoriam*. Potest autem claritatis gratia prius diuidi in *positiuam* & *priuatiuam*, intelligendo per positiuam illam, quæ est inter extrema, & per negatiuam, illam, quæ est inter extrema, quorum aliquod est negatiuum.

Rursus oppositio positua potest diuidi in *Contrariam*, & *Relatiuam*, & oppositio negatiua in *Priuatiuam* & *Contradictoriam*. *Oppositio negatiua contradictoria* est, quæ reperitur inter formam & negationem eius, & hæc oppositio est talis naturæ, ut quæ sunt per ipsam opposita non habeant medium, sed necessario subiectum debeat habere vel vnum vel alterum ex ipsis, & nunquam potest simul habere utrumque. *Oppositio priuatua* est quæ reperitur inter priuationem & habitum, id est formam quæ priuat, intelligendo per priuationem carentiam formæ in subiecto apto nato habere formam; & inter ea, quæ sic opponuntur dari potest medium, quia dari potest subiectum, quod neque habeat formam neque priuationem formæ, ex eo scilicet quod non haberet aptitudinem ad talem formam: lignum enim neque habet visum, neque cæcitatem ipsi priuatiue oppositam, quamvis enim habeat negationem seu carentiam formæ, tamen quia non est subiectum aptum recipere visum, illa carentia non dicitur priuatio.

3. *Addit autem Philosophus*, licet possit subiectum transire ab habitu ad priuationem, quia de vidente potest aliquis fieri cæcus; tamen non potest iterum fieri regressus à cæcitate ad visum; neque enim, inquit, qui semel ex vidente factus est cæcus, aut ex comato caluus rursus fieri potest videns aut comatus. Hoc autem parit difficultatem interpretibus, quia licet in exemplis aliquibus naturaliter loquendo sit verum, tamen in aliis exemplis non videtur currere, quia aërex lucido potest fieri tenebrosus, & rursus ex tenebroso lucidus, cum tamen tenebræ, & lux priuatiue opponantur.

Aliqui explicant Philosophum, quod velit tantum non fieri regressum à priuatione ad eundem numero habitum seu formam, quia subiectum erat priuatum: sed hoc quamuis verum sit, non tamen sufficienter explicat *Philosophum*, nam id dixit *Philosophus* tanquam quid speciale de priuatiue oppositis, nullo modo competens contrarie oppositis, à quorum vno ad aliud, & rursus ab illo alio ad ipsum potest subiectum transire; de frigido enim aliquid fieri potest calidum, & de calido rursus frigidum. Quod si hoc intelligeretur de regressu subiecti ad eandem numero formam, quam ante habuit, neque in contrariis etiam haberet locum, nam cum subiectum frigidum sit calidum, & rursus frigidum, non recipit idem numero frigus, quod ante habuit, ut omnes fateantur.

4. *Itaque existimo Philosophum* intelligendum, non de regressu ad eandem numero formam, sed ad eandem in specie, & id non asseruisse vniuersaliter, quasi non potuisset ille regressus fieri ab vlla priuatione ad habitum, sed voluisse tantum quod non posset fieri ab omni priuatione ad formam, quemadmodum ab omni contrario potest fieri regressus ad alterum contrarium: & certe hoc sufficit ipsius intento, quod erat tantum statuere discrimen inter contrarie opposita, & priuatiue opposita in ordine ad talem regressum.

Oppositio relatiua est illa, quæ est inter correlatinnes seu inter correlatiua: nam, quia non potest fieri ut duæ correlationes subiectentur in eodem subiecto saltem immediate, dicuntur inter se opponi, & repugnare.

Dices: Intellectus dicit relationem mutantis ad seipsum, dum in se producit intellectionem, & idem intellectus dicit etiam ad seipsum relationem mutati; sed relatio mutantis, & relatio mutati sunt correlationes: ergo correlationes sunt compatibles in eodem subiecto, & consequenter non opponantur.

Respondeo distinguendo maiorem: immediate, nego; mediate concedo, & concessa minori distinguo primum consequens, mediate concedo; immediate, nego primam consequentiam, & etiam secundam: sufficienter enim

Quidam
plex
oppositio

An à priuatione
fiat regressus
ad habitum.

Explicatio
Philosophi

Quid op-
positio
relatiua.

oppe

opponuntur, quatenus non possunt immediate simul existere in eodem subiecto.

Quomodo idem possit habere simul correlationes.

Vt hoc melius intelligatur, *adverte*, intellectum, dum mutat seipsum per intellectiōnem dicere immediate respectum ad ipsam intellectiōnem quam producit & ad vniōnem ipsius cum intellectu, & nullum alium respectum dicere ad seipsum: quia vero intellectio cum illa vniōne non potest esse, quin intellectus mutetur, propterea dicitur intellectus mutare seipsum; hanc autem denominationem habet ab illo respectu, quo producit intellectiōnem cum vniōne ad seipsum, & qui terminatur ad ipsam: ex quo apparet, quod respectus, quo intellectus refertur ad seipsum, ut motum, non terminetur immediate ad seipsum sed ad summum mediate. Similiter intellectus per receptionem intellectiōnis dicitur mutatus à seipso, illa tamen receptio immediate terminatur ad intellectiōnem, & non ad intellectum.

Advertendum autem, non propterea dici oppositionem relatiuam, quod ipsa sit relatio, quia ipsa non est magis relatio in se spectata, quam oppositio contraria; sed ex eo quod extrema ipsius sint relationes seu relatiua.

6. *Oppositio contraria* est, quæ reperitur inter formas positivas, quæ non sunt correlationes: & potest capi vel large pro quauicunque formarum non relatiuarum oppositione, & si sic accipitur, formæ substantiales possunt esse contraria respectu eiusdem materiae primæ: vel strictè pro oppositione, quam habent duæ formæ naturæ se inuicem expellere ab eodem subiecto inhaesionis, & talis est oppositio caloris & frigoris, virtutis & vitij. Et ex his, quæ sunt contraria hoc modo, quædam sunt, quæ habent medium, & quædam non habent: quæ non habent medium sunt illæ, quorum alterum necessario inest subiecto, ut sanitas & morbus, par & impar: (hæc enim sunt exempla Philosophi) quædam quæ habent medium, & quorum propterea neutrum necessario inest subiecto, ut auaritia & prodigalitas, inter quæ mediat liberalitas; albedo & nigredo, inter quæ mediat flauedo, & alij colores. Sed quæ de oppositis specialius intelligenda sunt, alias tractabuntur in Phisica.

QVÆSTIO II.

Quot modis vnum dicitur alio prius & posterius.

7. **P**hilosophus assignat quinque modos, quibus aliquid alio dicitur prior. *Primò* dicitur aliquid alio prius tempore; si pro aliquo tempore existit antequam illud aliud existat, & sic homo, qui generat alium est prior illo alio. *Secundò* dicitur aliquid alio prius consequentia; si scilicet sit talis natura, ut ab ipso non valeat consequentia ad alterum, ab altero vero valeat consequentia ad ipsum, & sic animal dicitur prius homine, vocaturque hæc prioritas aliquando prioritas naturæ, & prioritas illorum, à quibus non conuertitur subsistendi consequentia. *Tertiò* dicitur aliquid alio prius ordine, ex eo quod prius debeat ordinari & collocari in aliquo ordine, siue sit prius tempore, siue non, & sic dicitur in oratione exordium esse prius narratione. *Quartò* dicitur vnum prius alio ob dignitatē maiorem, & sic substantia est prior accidente, & Deus prior creatura, & in hoc sensu intelligunt aliqui prioritatem illam, qua dicitur Deus prius concurrere ad productionem effectus, quam causa secunda. *Quintò* denique dicitur aliquid alio prius natura ex eo, quod licet conuertibiliter dicatur cum altero, hoc est ita, ut ab ipso ad alterum valeat consequentia, & è contra, est tamen causa aliquo modo, & principium alterius, sic homo est prius risibilitate. Tot autem modis, quot dicitur vnum alio prius, dicitur vnum alio posterius. Omnes hi quinque modi comprehenduntur hoc disticho.

*Tempore, Natura, prius Ordine dic, & Honore.
Et causa effectū dicitur esse prior.*

QVÆSTIO III.

Quot modis dicitur aliud esse simul cum altero.

8. **Q**uamuis vero tot modis possit dici aliquid simul cum alio, quot modis dicitur aliquid alio prius, tamen Philosophus mentionem tantum fecit de tribus modis simultatis, tanquam de magis necessariis. *Prima* simultas est temporis, & talem habent, quæ eidem tempori, vel durationi coexistunt. *Secunda* est naturæ, & talem habent quæ dicuntur ad conuertentiam, cum tamen vnum alterius non sit causa, & sic correlationes sunt simul. *Tertia* simultas est specierum & differentiarum æque immediate contrahentium aliquod superius, & sic homo & brutum, rationalitas & irrationalitas sunt simul, quia æque immediate contrahunt animal. Hi modi tres comprehenduntur his versibus.

*Tempore dico simul, quorum generatio nunc est,
Quæ conuertuntur dicimus esse simul.
Sunt quæ simul species genus vnum distribuentes.*

QVÆSTIO IV.

Quot sunt species motus.

9. **D**einde assignat Philosophus quatuor species motus. *Prima* comprehendit generationem, qua producit substantia ex præsupposita materia, ut quando producit ignis ex ligno; & corruptionem, quia destruitur, ut quando destruitur lignum, ex quo producit ignis. *Secunda* species, amplius dicitur accretionem, qua augetur aliqua res per accessum maioris quantitatis, ut ut quando puer crescit: & decretionem, qua reducitur res ad minorem quantitatem per deperditionem alicuius partis quantitatis, quam ante habuit sine acquisitione maioris aut equalis, ut cum aqua rarefacta condensatur; aut homo infirmitate extenuatur. *Tertia* species est Alteratio, qua aliquis mouetur ad qualitatem, ut cum paries non albus redditur albus. Quamuis autem non dicatur expresse, quod hæc species comprehendat duas; tamen certum est quod non magis possit quis acquirere maiorem quantitatem per accretionem, & minorem per decretionem, quam maiorem & minorem qualitatem per alterationem: ideo autem fortassis Philosophus non assignauit duo membra, quia non est vnum aliquod nomen impositum ad significandam alterationem illam, qua quis deperdit aliquid suæ qualitatis, ut cum aqua redderetur minus calida, aut frigida; quæ tamen alteratio potest vocari deperditua; sicut & altera, qua redditur magis calida aut frigida, potest vocari acquisitiua. *Quarta* denique species est Latio, qui est motus terminatus ad locum, ut quando quis mouetur ab vno loco ad alium. De his autem motibus fufius agetur in libris de Generatione.

Quod si quæras cur non assignetur alia species, qua quis moueatur ad tempus, quandoquidem non magis videatur posse dici, quod quis moueatur ad locum, dum ponitur in loco in quo ante non fuit, quam ad tempus, dum ponitur in tempore seu coexistens tempori, cui ante non coexistebat. *Respondeo* rationem esse, quia reuera non potest dici nisi valde improprie, quod res moueatur ad tempus, quamuis ponatur in tempore: & ratio huius videtur esse, quod ita inuoluatur productio, aut conseruatio subiecti, quod ponitur in tempore in actione in illa, qua ponitur in tempore, ut non possit vlla causa ponere ipsum in tempore, nisi illa quæ potest producere, aut conseruare ipsum: secus autem est de illis aliis mutationibus.

QVÆSTIO V.

Quot modis dicitur aliquid aliud habere.

10. **D**eique assignat varios modos, quibus aliquid dicitur aliud habere; *primus* respicit qualitatem, secundum quam res dicitur habere habitum, vel potentiam naturalem, vel patibilem qualitatem; *secundus* quantitatem, secundum quam dicitur res habere talem, vel talem mensuram seu quantitatem; *tertius* circa vestimentum, & ab hoc dicitur res habere calceos, gladium, &c. *quartus* partem, & ab hac dicitur res habere

Quot modis dicitur aliquid aliud esse simul

Quot sunt species motus?

Quatuor species habitus.